



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Anthusa Virg. 22. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

S. ANTHUSA VIRG. 22. Augusti.

ANTHUSAM patria Seleucia, in hac nobiles parentes, apud hos raræ o-
pes, & cum his rarioꝝ forma comenda-
bat. Sed illa additura aliquid formosita-
tis etiam animo, Christiani fontis bal-
neas suspirabat, & lavari à Tharsensi
Antistite Athanasio exoptabat. Quare
veluti ad nutricem invisura currum co-
mite uno alteróve servulo consendit. In-
tere a monitoribus & comitibus Angelis
usus Athanasius obviam venit virgini,
& ad primum congressum fontem preci-
bus suis dedit, tum de inde ANTHUSÆ
corpus undis, animum gaudiis perfudit.
Et ut sciret, quem hic colorem in tam
sanctis thermis induisset, adfuere gemini
cælites, qui veste & ipsâ candidâ candi-
dissimam animulam donarunt. Hac illa
superba facile auream, quam gerebat,
contempſit, exutamque Athanasio, ille
miseris dedit. Talis denique nutricem a-
diit, quæ cùm pretium vestis non intelli-
geret imprudens culpavit scilicet virginis
in tantâ nobilitate modestiam. At hæc
clam matre ad Episcopum revertit, &
quod sciret facile innocentia vestem
fordis trahere, impetravit alteram &
seris horridam, quæ tegeret priorem &
indemnem servaret. Quin, ut ne dome-
stici fures hanc raperent amiei, in fil-
vas

326 VITÆ SANCTORUM. 13. Aug.
vas exportavit. Sed & nutrices pro una
illâ tot illic invenit, quot feras, quæ
triginta & duos annos aluere hospitem.
Immortua est rupi (lectus hic illi erat)
adversus plurimos insultus dæmonis ma-
li ipsa etiam rupes. Ex Meneis.

Caro pretiosis indumentis cooperta quid
aliud est, quam caro fœtidæ, corruptibilis,
necnon ex omni corporis meatu scaturiens
insaniem, quam non valet sustinere visus,
olfactus percipere, neque ipsa hominis natu-
ra perferre? S. Laur. Iust. l. de Humil.

SS. CLAUDIUS, ASTERIUS,
NEON MM. 13. Augusti.

P Otest Ægæa hodie invidiam Romæ
facere, & tergeminos fratres & ipsa
suos jactare, Horatiis vel ideo fortiores,
quod vivus è pugnâ nullus abierit, omnes
ceciderint victores. Illis nomina sunt
CLAUDIUS, ASTERIUS & NEON,
dissimilia vocabula, cæterum virtus sub-
pectore eadem planè & constantia. Pri-
mò singuli, tum totâ fraternâ acie pugna-
runt; nec intres solum hostes, sed in
totas carnificum cohortes. Videlicet ad
servilem metum, virgas, cederent Chri-
sti milites? Risum hæc, non gemitum ex-
pressere. Jam unci ferrei & ungulæ bu-
bulique nervi in lacerato corpore inte-
grum animum prodiderunt. Prunis &
cum prunis tyranno insultarunt etiam.

Tadas